



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

Nonvm. Quaedam quae Lutherus falso impingit illustrissimo regi,
diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

nis expurgari pridem oportuit. Veruntamen hic delentur peccatorum reliquie, simul & peccata quorum inter confitendum non est habita memoria. Neque sacramentum istud, vt sæpe diximus, est signum remissionis peccatorum, sed vnionis est sacramentum, & incorporationis Christo, nõ remissionis peccatorũ. Aliud est enim præstare peccatorũ remissionem, & sacramentum esse talis remissionis.

Quædam quæ Lutherus falso impingit illustrissimo Regi, diluuntur.

Cap. I X.

Iam satis abunde cõfectum I. est, opinor, Missam nõ esse promissionem solam, neque totam ipsius Missæ virtutem in promissione remissionis peccatorum consistere. Quamobrem & à veritate longe alienum est quod Lutherus cõminatur, nempe quòd nisi Missam obtinuerimus esse promissionem seu testamētum (vt ipse falso iactitat verba clarè sonare) totum Euangeliũ & vniuersum solatiũ amittimus. Nam & in-

regra nihilominus erit totius euangelij
veritas. Sed neq; solatij quicquã est quod
Lutheranũ commẽtum hominibus queat
afferre, quod nõ iuxta communem totius
ecclesiæ ritum & fidẽ idque longe cumu-
latius q̃ pro Lutheri somniis exhibeatur.

*Corp^o Chri-
sti fieri per
cõsecratio-
nẽ nõ pro-
batur ex
nudis euã-
gelij ver-
bis sine pia
interpretati-
one.*

Addam & istud, quòd nisi ritus eccle-
siæ tot seculorum vsu, pariter & patrum
assertionibus esset comprobatus, nec Lu-
therus neque alius quisquam ex euangelij
nudis verbis aduersus proteruentẽ euin-
ceret corporis Christi præsentiam in sa-
cramento fieri per cuiusvis sacerdotis cõ-
secrationem. Et quantum damnum esset
nobis hoc solatio priuari, aut in hæsitati-
onem aliquam leuiculam huius rei veni-
re? At in istam inciderimus hæsitati onẽ
haud dubie, si cum Luthero nihil patrum
interpretationi nihilq; consuetudini cen-
seremus deferendum. Veruntamen ex e-
uãgelij verbis vnã cum assertionibus pa-
trum, atque diuturna consuetudine, præ-
sertim in re tanti ponderis, nihil dubito
quin euincetur aduersum omnes, in Missa
verè carnẽ & sanguinem Christi conse-
crari, donariq; fidelibus. Sed de iis rebus
postea copiosius dicemus. Interca certum

habeamus, nullum in toto euangelio verbum esse, quo Lutherus valeat aduersus proteruentem firmare Missam esse promissionem, quod tamen ipse toties & tam magnifice iactat.

Age iam excutiamus & istud quàm nō **II.**
erubescat homo impudētissimus Regi & mendacium & contradictionem impingere, quòd is hoc loco fateatur sese ad trādium vsque de testamentis & promissionibus à concionatoribus audiisse, & tamē postea cum de sacramento ordinis loquatur, neget vllam in tota cœna dominica esse promissionem. At in hoc plane mendacissimus esse Lutherus deprehenditur ab eo qui verba Regis illic scripta velit perlegere. Sunt enim hæc verba regis: Legatur locus de cœna dominica, non reperietur apud vllū euangelistarum in susceptione sacramenti promissam gratiam. Legitur à Christo dictum, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorū. Quibus verbis significauit semetipsum in cruce per passionem redempturū genus humanum. Sed quū dixit ante: Hoc facite in meā cōmemorationem, nullā hoc faciēti,

Matt. 26.

Contra Capt. Babyl. Ca. IX.

id est sacerdoti consecranti, neque eucharistiam recipienti, gratiam ibi promittit, nullam peccatorum remissionem. Hactenus ipse rex. Quibus verbis palam est regem negare vel gratiam vel remissionem peccatorum in missa promissam esse vel ei qui consecrat, vel ei qui recipit eucharistiam. Et hoc sane verissimum est. Non negat tamen quin in ipsis verbis Missae recensatur promissio remissionis peccatorum: quae promissio, ut dicit, facta est propter effusionem sanguinis in cruce, & propter ipsam passionem, qua genus redemit humanum, non propter esum sacramenti. Mendacium igitur est apertissimum, quod rex negarit ullam esse promissionem in Missa.

*Luth. falso
imponit ve
gi contra-
dictionem.*

Sed & istud quoque nihilominus mendacium est, quod rex sibi ipsi contradixerit; quum nihil repugnet concedere, se ab aliis audisse de testamentis & promissionibus istiusmodi, & negare tamen quod in missa fuerit vlla gratia seu peccatorum remissio vel consecranti vel suscipienti eucharistiam aperte promissa. Rex ubique secum constat, & pro his quae docet, aut scripturas aut rationes affert efficacissimas, quas vel aure surda Lutherus pertransit, vel

médaciis & cauillis eludere conatur, quē
admodū & in hoc (quod proximè sequi-
tur) manifestū est. Nā ait regē citra vllam
probationē asseruisse fieri à sacerdotibus
non modo id quod Christus in cœna, sed
quod in cruce fecit. quod est haud dubie
mendacium apertissimum. Nam rex ad id
comprobandum duas affert scripturas, v-
tranque ex Paulo.

Sed verba regis subiiciā. Si nobis (in-
quit) instet Lutherus, sacerdotē offerre nō
posse, quia Christus in cœna nō obtulit:
reçordetur eorū quæ dixit ipse, testamen-
tum inuoluere testatoris mortē, nec antē
vires & robur sumere, & tota perfectione
cōpleri, quā eo moriēte qui testatus est.
Quamobrē non solū pertinet ad testamē-
tū quæ prius fecit in cœna, sed etiā obla-
tio ei⁹ in cruce. Nā in cruce cōsummauit
sacrificiū, quod inchoauit in cœna: eoque
totius rei cōmemoratio, nēpe cōsecratio-
nis in cœna, & oblationis in cruce, vno
celebratur ac repræsentatur sacramento
Missæ, atque adeo verius mors represen-
tatur quā cœna. Apostolus enim quum
Corinthiis scriberet, Quotiescunque pa-
nē hunc comederitis, & calicem biberitis,

*Rex bina
autoritate
probanit id
a sacerdoti-
bus fieri
quod Chri-
stus fecit.*

III.

I. Cor. II.

Contra Capti. Babyl. Cap. IX.

Roffensis. adiecit, non, cœnam domini, sed mortem domini annūciabitis. Haftenus ipse Rex. In quibus verbis lector apertè vides regem testimonio Pauli communiſſe quod dixerat, nimirum in miſſa verius mortem Chriſti repræſentari, q̄ dominicā cœnam. Annūciabitis (inquit) mortem domini donec veniat. Quam ſcripturam & nos ante latius tractauimus.

Verba regis. Sed audi iā alterā ſcripturā ex Luca, quā rex ad idipſum cōprobādū produxit. Verba regis ſunt hæc: Negari nō poteſt ſacerdotem in Miſſa bonū opus facere: quippe qui nō aliud facit in miſſa, quā Chriſtus in cœna fecit & cruce. hoc enim declarāt

Luca. 22. verba Chriſti, Hoc facite in meā cōmémorationē. Quibus verbis quid aliud volebat vt in miſſa repræſentarēt ac facerent, quā quod ipſe faciebat in cœna, & cruce? Hucusque rex. Lutheri tamē tanta eſt improbitas, vt nihil pudeat aſſeruiſſe regem id dixiſſe ſolū, & nō probaſſe, quum tamē pro vna re duo ſcripturarū testimonia Rex produxerit, vt iam oſtendimus.

Cauillum Luth.

Audiſti mendacium lector, accipe nūc & cauillū quod illico ſubiicit. Dico (inquit) ego contrā, manifeſtū eſſe ſacerdoteſ

in Missa id omittere quod Christ⁹ in cœ-
na fecit, & id facere quod Iudæi fecerunt
in cruce Christo. Nec dico hoc solū, sed
probo quoque. Nā qui verbū dei peruer-
tit & extinguit, is verè crucifigit filiū dei:
id quod faciunt omnes qui ex promissio-
ne opus faciunt, quū hoc verè sit verita-
té dei mutare in mēdaciū. Hæc Lutherus.

Ego certè neminē hactenus audiui, qui
promissionē opus fecerit. Neq; si quisquā
id tutari vellet, quòd promissio fuerit o-
pus: nō video quomodo veritatē dei com-
mutet in mendaciū. At vnū scio, quòd si
puertere & extinguere verbū dei, sit filiū
crucifigere, Lutherus Christū ita crucifi-
git, vt nemo magis. Nam ipse tam illud,
Annūciabitis mortē domini, quàm illud,
Facite in mei commemorationē, peruer-
tere simul & extinguere conatur penitus.

Confutatio

*Luth. Chri-
stum cruci-
figit.*

IIII

Subinde non minus impudenter & sa-
crū ipsius missæ canonē, tot seculis à pa-
tribus non minori eruditione quàm vitæ
sanctimonia præditis honorificè cultū, ip-
se cōtēnit, ac pro nihilo ducit. Canonem
(inquit) ego reieci & reiicio, quòd pror-
sus aperte contra euangelium vocat sacri-
ficia, quæ sunt signa dei promissionibus

adiecta, nobis oblata, à nobis recipienda,
 non offerēda. Primum hic audis lector,
 quòd sacrū reiiicit canonē, quo nihil hac-
 tenus apud orthodoxos, exceptis euan-
 geliis, antiquius habitū est. Qui cōtēptus
 (si nihil aliud esset) abūde monstrat qua-
 le monstrū & quān horrendū sit Luthe-
 rus. At caussam subdit, nempe quòd prorsus
 aperte contra euangeliū vocat sacrificia,
 quæ sunt signa dei promissionib⁹ ad-
 iecta. Verū istud apertissimū est menda-
 cium, quòd canon prorsus aperte contra
 euangeliū ipsa dei signa vocet sacrificia.
 Proferat velim ipsum euangelij locū, qui
 canoni tam aperte contradicat, id quod
 scio nūquam faciet. Nos autē abunde sa-
 tis produximus, cur verus agnus Christus
 Iesus, verè sub illis panis & vini speciebus
 in altari sacrificetur. Et quid prohibet si-
 gna dei vocari sacrificia? Nam & in vete-
 ri lege quæ sacrificia vocantur, fuerūt itē
 & Christi per suam passionem immolādi
 signa, simul & promissionibus adiecta,
 quemadmodū superius ostendimus. Quid
 mirum igitur si panis & vini species, quæ
 non modo signa sunt carnis & sangui-
 nis ipsius agni iam olim in cruce pro no-
 bis

*Signa dei
 vocantur sa-
 crificia.*

*Species pa-
 nis & vini
 vocantur sa-
 crificia.*

bis immolati, verumetiam eundem verè præsentem annunciant ob reficiendam eiusdem immolationis memoriam, quid inquam mirum est, si eiusmodi signa sacrificia vocentur? quando nusquam (quod tamen ob consequendam veram vitam oportuit) agnº ille comeditur præterquam ex hoc sacrificio. Geminum itaque mendacium, vt ferè solet, Lutherus huc inuenit: alterũ, quòd signa ipsa nõ debeant vocari sacrificia: alterũ, quòd affirmet id tam prorsus apertè facere cõtra Euangelium.

Quod verò subdit ideo signa hæc non esse offerenda, quòd nobis oblata sint, & à nobis recipienda, quid stolidius dici poterit, quum nihil penitus habeamus offerendum, quod nõ à deo prius accepimus? Sic enim David deo confitetur. i. Paralipomenon. 29. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et Paulus identidem ait: Quid habes quod non accepisti? Quare si nihil deo sit à nobis offerendum, nisi quod nõ accepimus, nihil vnquam offeremus. Præcluditur enim ad hunc modum omnis oblatio penitus, id quod apertissimè scripturis contrahitur, quippe quæ passim hortantur

Duplex Lutheri mendacium.

1. Cor. 4.

Contra Capt. Babyl. Cap. IX.

*Filius pa-
tri offeren-
dus.*

vt hostiam aliquam offeramus deo. Quod si possit quidpiam quod à deo pridem accepimus, deo rursus offerri, quid vetat quo minus hunc immaculatum agnum, tam acceptabilem patri, quippe qui pro peccatis olim offerebatur, & ad nostram utilitatem à deo nobis donatus sit, quid inquam vetat quo minus eundem rursus offeramus patri, ceu iuge quoddam sacrificiū, pro peccatis quæ quotidie facimus, quotidie redimendis? Nā cū Christus semel oblatus fuerit pro peccatis omnibus abolendis, tamen oblationis illius meritum & fructus, non nisi mediis idoneis, peccatoribus omnibus applicatur. Alioqui nemo peccatorum fieret saluus, sed eunđi damnarentur.

*Meritū pas-
sionis appli-
catur homi-
nibus.*

*Sola fides
non sufficit
cuilibet
adulto.*

Quod si Lutherus dixerit sufficere cuiusque suam fidem, neque ego refragor, vbi cætera defuerint. Verum vbi cætera queant obtineri, nec tamen conquirendi sufficiens adhibeatur diligentia, talem fidem ego minime suffecturam opinor, sed protinus ipsa negligentia deformari. Nam alioqui frustra non modò baptismus, verum etiam absolutionis sacramentum & Eucharistia quoque fuissent instituta.

Per hæc ergo sacramenta, passionis illius fructus peccatoribus communicantur. Nihil ergo prohibet quin sub signis Christi verus agnus offerri possit, quum hæc hostia nulla altera purior, nulla sanctior, nulla denique patri acceptior excogitari queat.

Hic multis cōuiciis, multis insaniis, multis deniq; puerilibus ineptiis præteritis, ad illud solenne de sacris literis mendacium venio, quo Lutherus cōtendit nullum in lege fuisse sacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Mihi (inquit) satis. In lege quicquid offerebatur, totum incendebatur. Putat enim offerri nihil, quod nō igne prorsus absumebatur, quum scripturæ palam afferant, nō modo populum obtulisse sacerdotum manibus, verumetiam & ipsos sacerdotes immolasse hōge plura quàm incenderint. Sed de populo prius exēplum producamus. Leuit. 2. sic scriptū est: Anima quā obtulerit oblationē sacrificij domino, similia erit eius oblatio. Istud omnino de quouis offerente quantumvis laico debet intelligi. Porro sacerdotis officium erat, ex tota ipsa oblatione me-

VI

Luth. mentitur omnia oblata fuisse incensa.

Contra Capti. Babyl. Ca. IX.

memoriale quoddam decerpere, mox ignibus exurendum, vt ibidem traditur. Nam paulo post sequitur, Ac deferet ad filios Aaron sacerdotis. Quorum vnus tollet pugillum plenum similæ, & ponet memoriale super altare &c. Ecce vides lector priuatum illum de populo prius ad sacerdotis manum offerre, deinde sacerdotem ipsum offerre denuo. Rursum in eodem capite sequitur apertius: Sin de craticula fuerit sacrificium tuum, æquè simila conaspergetur oleo, quam offerens domino trades in manibus sacerdotis. Ecce traditio manibus sacerdotis oblatio dicitur, & oblatio domino facta. Quam (inquit) offerens domino, trades in manibus sacerdotis. Et continenter sequitur de sacerdote: Qui quum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare. Ecce vides lector quòd prius quàm id quod pro memoriali desumitur exurendum, totum illud pridem oblatum à laico dicitur oblatio: & denuo per sacerdotem oblatum, vocatur sacrificium.

Memoriale quid significet.

Cæterum ne in verbo memoriale scrupulus habeatur, Moses quinto

Leuitici, quid per hoc velit intelligi, docet apertius. Nam postquam pauperi (qui non haberet quicquam viuum offerendum) simillam offerre iussisset, illico mandat vt sacerdos plenum ex ea pugillum hauriens cremet super altare in monumentum eius qui prius obtulerat: quodque residuum esset, sacerdos in suam partem acciperet. Ecce vides id quod incenditur, in eius memoriale & monumentum fieri, qui prius obtulerat. Bis igitur oblatum fuit, semel per laicum, & denuo per sacerdotem: tertio nonnulli ipsius oblatis cremabatur. Sed & in eodem capite plenius aperitur non solum id offerri quod incenditur, sed totum quod apportatur ad manus sacerdotum. Nam iubetur ibi pauper, qui pecus non habeat, duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocaustum. Offerebatur igitur vterque, sed alter tantum incendebatur. At in re nimis aperta nimis laboramus: verum istud ideo facimus, vt nemini non dilucidum sit quam sit impudens Lutheri mendacium.

VII.

*Sacrificiū
non semper
combureba
tur.*

Et quanquam ex his quæ diximus, aliquousque constet, etiam sacrificium aliquod in lege fuisse quod recipiebatur, & non totum incēdebatur, quemadmodum de altero turture aut altero pullo columbarum apertissimum est: non grauabimur tamen & alia super hac re producere testimonia. Ego certè demiror hominem, qui tantam sibi de sacris bibliis peritiam arrogat, contrariū asserere tam impudenter, quum in bibliis occurrant eius rei tam frequenter exempla. Nam Leuit. x. legitur ita sacerdotibus dictum: Tollite sacrificium quod remansit de oblatione domini, & comedite illud absq; fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est. Ecce quodd reliquū fuit præter oblationem domini, hoc est præter id quod incēdebatur, sacrificium erat, quod & sacerdotibus in cibum fuit. Et quāquam aliqua pars totius exurebatur in memoriale, nihilominus ipsum totum erat deo verè sacrificatum. Nam vbi quispiam è populo sacerdotum manibus rem quamuis obtulisset, primum, si fuisset ipsa res inanimis, cuiusmodi simila est, siue cruda, siue cocta, fraxave, mox eandem sacerdos in sacrificium

offerebat, vt nuper diximus: atque ita de-
 mum portiuncula quadam eius sacrificij
 in altari exusta, quicquid residuum fuerat,
 ab ipsis edebatur sacerdotibus. Sic enim
 aperte iussit Moses Leui. 2. Quicquid (in-
 quit) reliquum est, erit Aaron & filiorum
 eius sanctum sanctorum de oblationibus
 domini. Quòd si pecus offerendum esset
 à populo aut à principe, aut à priuato
 quouis, posteaquam sacerdotum manibus
 id semel oblatū fuisset, tum sacerdos idem
 pecus immolabat in altari sanguinem eius
 effundens, & eodem altaris basim resper-
 gens, iamque hostia & sacrificium appel-
 labatur. Postremò nōnullam eius partem
 sacerdos exurebat in memoriā ipsius mu-
 neris, si vel pacificorum hostia fuisset, vel
 victima pro peccato. Quicquid autem re-
 liquum erat, sacerdotibus in esum verte-
 batur. Is ordo Leuit. 3. 4. & 5. patet aper-
 tissimè. Quamobrem & Nume. 18. domi-
 nus ad Aarō dicit: Omnis oblatio, & sacri-
 ficium, & quicquid pro peccato atque de-
 licto redditur mihi, atque cedit in sancta
 sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.
 in sanctuario comedes illud. Quid potest
 apertius dici? Propter quod & Moses, vt

Contra Capt. Babyl. Cap. IX.

Leuit. 10. traditur, iratus fuit aduersus Eleazar & Ithamar filios Aaron, quòd hircum oblatum pro peccato non comedissent, sed exussissent penitus. Cur (inquit) non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto qui sancta sanctorum est? An non ex his verbis palam est id ipsum quod edebatur, oblationem & sacrificium fuisse? Sed & Exo. 29. Panes (inquit dominus ad Moysen) qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, ut sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Ecce ipsa receptio & comestio panum, sacrificium illud effecit placabile, quo manus item offerentium sanctificabantur. Et Deutero. 18. scriptum est: Non habebunt sacerdotes & leuitae, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hereditatem cum reliquo populo Israel, quia sacrificia domini & oblationes eius comedent. Falsum est igitur, quòd nullum in lege fuisset sacrificium quod recipiebatur, & non totum penitus incendebatur.

Ceterum & ex euangelio probemus hoc ipsum. Christus enim apud Matthaeum cap. 12. vocat sacerdotum opera, sacrificium. An non legistis (inquit) in lege, quòd sab-

batis sacerdotes in templo sabbatum prophanant, & crimine vacant? Et quomodo prophanant, nisi faciendis sacrificiis? Nam & hæc eorum operam sacrificiū appellat, quū subdit: Misericordiam volo, & non sacrificium. At ob hæc quæ incendebantur, solius ignis opera suffecit citra sacerdotum sudores. Sacerdotum labor erat potissimū in iugulandis & exoriandis pecoribus: quod opus a deo sacrum fuit, ut nemini alteri præterquam sacerdoti liceret id facere. Quamobrem & palam est hoc opus à Christo vocatum sacrificium. Mendacissimum igitur est quod Lutherus affirmat, nempe quod in lege quicquid offerebatur deo, totum incendebatur. Nec enim solum quod exurebatur, sed & quod edebatur ab ipsis sacerdotibus, erat verè sacrificiū: nisi quis malit cum Luthero scripturas omnes pervertere, quàm assentire veritati.

Satisfecimus igitur (opinor) quæstioni Lutheranae, qua tam arroganter quæsit, ubi reperiretur in lege sacrificium quod recipiebatur, & non penitus totum incendebatur. Palam igitur ex his est nihil omnino repugnare, quod Christi corpus *Corp⁹ Chri*

si & sanguis vocatur sacrificium à nobis sumendum.

& sanguinè in missâ vocemus sacrificium. Et eadem identidem fateamur non solum antè nobis à deo donata fuisse, verù etiam à nobis rursus in cibum esse recipienda. Sic enim in ipsis typis factum legimus, nimirum in veteri lege, res videlicet à deo donatas, eidem rursus immolatas, demum à sacerdotibus in cibum sumi. Ex his iam discat lector quanta sit vel inscitia vel impudentia Lutheri. Inscitia primum, si tot scripturarum inscius fuerit, quarum notitiam vni sibi præ cæteris vendicat. Impudentia verò, si non ignorauerit, & tamè dissimulet, imò neget eas nusquam in lege reperiri posse.

Sed prolixiores quàm oportuit in re nimis dilucida fuimus. Veruntamen si (quæ sequuntur) meras amentias quibus Lutherus haud aliter, quàm furiis actus infernalibus debacchatur, persequi velimus, nimio certe lectorem quemuis afficeremustædio. Quamobrem illis dimissis, ad ea quæ sunt maioris momenti transueamus.

INTERPRETATIONI

quam de scripturis patres concorditer reliquerunt, fidè adhibendâ esse.

Cap.